[illegible] potius nos audire quã deũ iudicate.
Non enim nos possumus que uidimus et audiuimus non
loqui. Et de ceteris discipulis scriptũ est. Ibant
discipuli gaudentes a conspectu concilii. quoniã
digni habiti sunt pro nomine ihu contumeliã
pati. Ecce qualis murus facta est ecclesia que mo
do tenerrima nec pede cuiuslibet gradientis sine
sui lesione gerit. modo uero accepto mirabile
artifice spiritu sancto uniuersis euertentis assul
tantis contumelias illesa contempnit. Super
quã propugnacula edificantur. quia ut non
tantũ modo se defendat. sed ut etiã impugnan
tes repugnando prosternat. miracula ei fa
cere conceduntur. que cũ hostes uiderint. ab eius
aggressione iacula timentes terreantur. Que
propugnacula bene argentea esse perhibentur.
quia ipsa miracula cũ uerbi donantur predica
tione. Et quia argentũ sonatiuũ est ualde me
tallũ. argentea propugnacula construuntur. quia
per miracula factũ est ut eorum uerba per uniuer
sũ mundũ conualescerent. et fidei predicatio
nẽ inflexibiliter circũquaque diffunderent. Quod
manifestat psalmista cũ dicit. In omnẽ terrã
exiuit sonus eorum et in fines orbis terre uerba
eorum. Sequitur. Et ostiũ est compingamus illud
tabulis cedrinis. Ostiũ etiã ecclesiam dei dicimus
quiã ab ipso xpo potestatẽ aperiendi et claudendi

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_254_f119v – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5260)